7

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

EBRE TERTIANA
NTERMITTENTE SOPOROSA
UT PLURIMUM FUNESTA, FELICITER
TAMEN CURANDA.

HANC
DEO CLEMENTER IUVANTE
CTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
D. CAROLO LUDOVICO,
COMITE PALATINO RHENI, DUCE BAVARIÆ,
COMITE VELDENTIÆ & SPONHEMII rel. rel.
PRÆSIDE
VIRO
EXCELLENTISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO DOMINO,
DOMINO
EORG. FRIDER. SIGWART,
PHIL. MED. ET CHIR. D. HUIUSQUE ET ANAT. P. P. O.
MED. AUL. VIRTEMB. FAC. MED. SEN. ET. p. t. DECANO,
PRAECEPTORE SUO ET PATRONO AETATEM COLENDO,
PRO
NSEQUENDIS SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS
A. D. Oct. 1759.
H. L. Q. C.
DEFENDET
AUCTOR
H. GOTTLIEB MOERICKE, *Neostadiensis ad Cocharum.*

TUBINGÆ LITTERIS COTTAIANIS.



§. I.



Morbos inter, qui genus humanum misere excruciant, unus est ceteris & pertinacior, & frequentior. Nulli is parcit ætati, nulli sexui, nulli temperamento. Aequo pulsat pede pauperum tabernas, regumque turres. Nec est regio, nec tempestas, quæ ab illius furore immunitatem sibi polliceri possit. Dum alii morbi non nisi partem aliquam corporis humani infestant, hic totum, quantum quantum est, corpus pervadit torquetque: unde merito a Medicis universalis morbi nomen reportavit. *Febrem* hac adumbratione significari, facile intelligas. At quænam hujus *essentia*? Difficillimam esse ad hoc responsionem, passim peritissimi fatentur pathologi. Unde etiam tam diversæ diversorum Auctorum de febre definitiones. Equidem, cum hæc ita se habeant, ab æquis rerum æstimatoribus, caveam meam intuentibus, facile veniam me impetraturum esse confido, si, missa *scrupulosa febris definitione*, ea, quæ Illustris Joh. de Gorter de illa memoriæ prodidit, hoc loco repetere



tere maluero. Ita autem ille (*a*): *Multitudo caussarum & symptomatum summam in definienda ejus* (febris) *natura præbuit difficultatem. Quæ enim passim in uno inveniuntur genere febrium, quibus possumus præsentiam febris cognoscere, in alio autem ne quidem conspiciuntur. In omnibus vero febribus aliqua observatur* ægritudo, &, *nisi febris sit anomala, incipit cum* horrore & frigore; *dein excitatur* calor æstuans *cum corporis siccitate; demum erumpit* sudor, *quo febris terminatur*: in frigore *pulsus exilior magisque obscurus*, in calore *plenior*, *frequentior*, *durior*, in sudore *iterum remissior*, *donec*, *febre finita*, *in naturalem ordinem redigatur.*

§. II.

Quum non omnes febres unam eandemque caussam agnoscant, praetereaque ratione *indolis*, *durationis* sive *decursus*, *subjectorum*, quæ aggrediuntur, *locorum*, in quibus sæviunt, *ordinis*, quem servant, *anni temporum*, *typi*, aliorumque accidentium, quam maxime inter se differant, variæ inde natæ sunt *divisiones*, quas singulas speciatim recensere, nimis longum foret. Missis igitur reliquis, id tantum adnotare liceat, febres *ratione typi* in *continentes*, *continuas*, & *intermittentes* divisi. Hinc Galenus (*b*): Συνεχεῖς ὀνομάζουσιν, ὅτι μήτ᾽ εἰς ἀπυρεξίαν λήγουσι, καὶ διαλιμπάνονται τοῖς κατὰ μέρος παροξυσμοῖς. Εἰσὶ γὰρ ὄντως ἐν τῷ μέσῳ τῶν συνόχων, καὶ τῶν εἰς ἀπυρεξίαν παυομένων.

§. III.

Continentes febres vocantur, quæ a primo insultus tempore ad finem usque eadem sæviunt vehementia. Tales sunt *febris ephemera*

(*a*) *Comp. med. in usus exercitationis domesticæ digesto.* tract. *LII.* §. *II.* p. 266.

(*b*) *de temporibus morbi.*

mera simplex, & *plurium dierum*, *synocha simplex*, cet. *Continuæ* audiunt, quæ, caloris sui intuitu, post singulos quidem paroxysmos a sua remittunt violentia, ita tamen, ut febris non plane cesset, & per intervalla exacerbetur. Hujus generis sunt *continuæ quotidianæ*, *tertianæ*, *quartanæ*, *catarrhales*, rel. *Intermittentes* appellantur, quæ per intervalla, vel majora, vel minora, ægrum aggrediuntur, postque singulos superatos paroxysmos, & frigoris, & caloris respectu intermittunt, plenariamque inter duos quosque paroxysmos ἀπυρεξίαν conjunctam habent, ita, ut ægrotus hoc tempore intercalari, ceteris paribus, bene valere videatur. Referuntur huc *febres intermittentes quotidianæ*, *tertianæ*, *quartanæ simplices*, & *duplices*, cet.

§. IV.

Intermittentes febres, pro *typi*, quem servant, diversitate, in *quotidianas*, *tertianas*, *quartanas*, *quintanas*, *sextanas*, *septimanas*, rel. (c) immo *annuas* (d), dividi solent. Has inter, quæ quartanarium typum excedunt, teste experientia, rarissimæ, quotidianæ & quartanæ frequentiores, tertianæ denique frequentissimæ sunt.

§. V.

Febris, quæ alternis diebus ægrotum cum horrore, rigore, & subsequente anxio ardentique calore invadit, cumque sudore finitur, *tertiana intermittens* nominatur.

 §. VI.

(c) SENNERTUS *de febribus* Lib. 2. Cap. 16. p. 489. ed. Witteb. 1619. Van SWIETEN *comment. in aphor.* BOERH. T. 2. p. 504. seq.

(d) Van SWIETEN *l. c.*



§. VI.

Appetitus proſtratus, totius corporis, & in primis artuum, laſſitudo, capitis dorſique dolor utplurimum tenſivus, hypochondriorum inflatio, alvi ſegnities, *tertianæ* mox ſubſecuturæ *prodromi* haud raro eſſe ſolent. Ipſe vero febrilis paroxyſmus ægrotos ante meridiem plerumque cum frigoris ſenſu, in primis minutis leviori, pandiculationibus, oſcitationibus, aggreditur. Facies, labia, ungues, pallent, mox liveſcunt. Horror & rigor, pededentim increſcentes, totum occupant corpus. Univerſa conſtringitur cutis, detumeſcunt vaſa, & diſparent. Oculi fiunt cavi, naſus redditur acutus. Corpus frigore concutitur tam graviter, ut dentibus etiam ſtrideant. Horrori huic tenſivus ac gravativus dolor circa primam dorſalem vertebram, & per dorſi longitudinem epigaſtrium verſus adſcendens, ſeſe aſſociat. Debilis, parvus, juſto celerior, ſæpius intermittens, micat pulſus. Inſignes oriuntur præcordiorum anxietates. Sæpiſſime linguam mucus quidam viſcidus obſidet, oſque amarus vexat ſapor. Immanis interdum ægrotos excruciat ſitis. Sequuntur, ſub primis potiſſimum paroxyſmis, nauſea, inanis vomendi conatus, vel etiam actualis bilioſæ, & pituitoſæ, nec numquam etiam viridis materiæ vomitio. Hujus loco in aliis diarrhoeæ obſervantur. Urina, quam hoc tempore, quod *exhorreſcentiæ tempus* SYDENHAMO (e) audit, emittunt ægri, plerumque pauca, vel plane non tincta, limpida atque pellucida eſt. *Stadium* hoc, ſi quidem legitima ſit tertiana, ultra horam non extenditur.

§. VII.

Horrorem excipit *alterum ſtadium*, quod *ebullitionis* adpellatur. Corpus, frigore antea rigidum, calore quaſi denuo perfundi

(e) *tr. de febr.* cap. 5. p. m. 77.

fundi occipit. Vaſa, antea collapſa, tumida nunc fiunt. Pulſus augetur, plenior, fortior, durior, celerior atque frequentior micat. Pallidus lividuſque cutis & faciei color in floridiorem, rubicundiorem, mutatur. Oculi fiunt turgidi, rubicundi, fulgidi. Siccus corporis calor in aliis gradatim, in aliis præcipiti ſatis curſu augmenta capit, acer, mordax evadit. Pungens & pulſatilis cephalalgia, intenſa ſitis, ægros excruciant. Reſpiratio fit citatior, & aliena interdum loquuntur. Urina, cujus paulo majorem quantitatem frequentius hoc tempore emittunt, flammea, rubicunda, & ſaturata eſt, nullumque deponit ſedimentum. Stadium hoc ſex plerumque, vel octo horarum eſt.

§. VIII.

Exſuperato hoc ſtadio, tertium, quod *deſpumationis* vocant, incipit. Recenſita (§ præced.) ſymptomata pededentim imminuuntur. Pulſus evadit mollior, micat lentius. Cutis laxatur, & madeſcit. Calor ſenſim miteſcit, ſudore corpus, in primis quidem paroxyſmis leviori, in ſequentibus autem largiori, perfunditur. Quo finito, omnia ſymptomata ceſſant, æger orthoſtadius fit, & interdum non, niſi de corporis laſſitudine, & appetitus proſtratione, queritur. Subſequente intercalari die, ſaturatior adhuc rubicundiorque, quam ebullitionis tempore, emittitur urina, poſtque morbi ſtatum, roſeum, billioſum, ſedimentum deponit. Durant hæ induciæ per duas noctes, interjectumque his integrum diem, quibus tranſactis, nova denuo luditur tragœdia, ita tamen, ut paroxyſmus plerumque anticipet, rarius poſtponat, & ſymptomatum vehementia ad quartum uſque creſcat, quo ſuperato, criſeos ſigna in urina apparere ſolent. In ſequentibus paroxyſmis, plerumque poſtponentibus, ſymptomata iterum pededentim imminuuntur,



untur, ægerque, transactis septem circuitibus (*f*), cum sanitate in gratiam redit. Quodsi ultra septem paroxysmos sese extendat, *chronica* adpellatur.

§. IX.

Causa proxima, ut febris in genere, ita etiam tertianæ intermittentis in specie, est velocior fluidi nervei, sanguinisque in nervorum cava cordisque vasa influxus, quem, fortior & velocior hujus & arteriarum contractio, similisque, tum intestinus, tum progressivus, sanguinis motus sequitur, in vasa capillaria obstructa, vel quocunque modo læsa, reagens, circulum in iisdem promovens, & resolutionem, divisionem, coctionem, secretionem, & excretionem causæ morbificæ, vel translationem ejusdem ad alia loca, magis minusve nobilia, producens.

§. X.

Causæ remotæ sunt I. Viscida atque acris, in primis viis, ventriculo, & intestino duodeno, hærens materia, quæ cum chylo ad sanguinem delata, simili eundem inficit vitiosa qualitate: unde non tantum, qui digestioni & χυλοποιήσει famulantur humores, saliva, liquor gastricus, utraque bilis, & succus pancreaticus, præternaturalem induunt crasin, ulteriorique materiæ morbificæ generationi ansam præbent, sed & sanguis, nimia spissitudine & acredine peccans, in arteriarum finibus tandem subsistit, spasmos excitat, sub quibus sanguis primo ad interiora urgetur, auctoque inde cordis & arteriarum motu, rursum versus corporis superficiem propellitur. II.

Ætas

(*f*) Hippocrates *Sect. 4. aphor. 59.*

Ætas juvenilis & virilis. III. Temperamentum sanguineum, cholericum.

§. XI.

Causas, viscidam hanc & acrem materiam generantes, perversus sex rerum non naturalium usus suppeditat. I Aër diurnus calidior, & nocturnus frigidior. Illo enim humores in orgasmum cientur, fluidiores eorum partes dissipantur, crassiores in corpore relinquuntur. Hoc cutis pori constringuntur, salutaris transpiratio supprimitur, impuritates in corpore remanent. Idem effectus est cœli pluviosi vel humidi. Unde ratio patet, cur hæ febres vere & auctumno adeo familiares sint. II. Cibi crudi, viscidi, digestu difficiles, vel cum nausea adsumti. Potus aquosus viscidus, frigidus, spirituosus. III. Somnus justo diutius protractus. IV. Vita sedentaria. V. Sanguinis excretiones naturales suppressæ, & artificiales neglectæ. VI. Nimia tristitia & iracundia, sub pastum, vel post eum accedens.

§. XII.

Quæ de *causis* hactenus diximus, & *morbi* nostri *genesin* & *symptomatum* rationem optime illustrant. *Occasionales causæ* nimirum (II. IV. & VI. §. præced.) recensitæ naturali suo tono ventriculum privant. Turbatur itaque digestionis negotium, generantur cruditates, chylus elaboratur viscidus, acrimonia contaminatus, qui ad sanguinem delatus, illum eodem inficit vitio. Vel sanguis quoque ex causis (I. III. & V.) dictis immediate tenax, spissus & acer redditur. Omnes inde humores, e sanguine secreti, saliva, liquor gastricus, utraque bilis, succus pancreaticus, iisdem vitiis laborant, cibi non amplius rite concoquuntur, chylus depravatus, ad sanguinem delatus, hujus spissitudinem & acredinem magis magisque adauget, ægre hinc per vasa minima circuit. Quid mirum ergo, si ventri-



culum debilitatum & cruditatibus oneratum, laudabilis ſucci nutricii inopiam, impeditum ſanguinis circulum, & ſpaſmos, appetitus proſtratio, corporis laſſitudo, capitis dorſique dolores, tertianæ præcurſores, excipiunt?

§. XIII.

Quod ſi homo, hiſce præmonitus, morbi principio convenientibus remediis non obſtat, ſed novos potius committit errores diæteticos, ſanguis, majorem adhuc inde tenacitatem induens, in ultimis tandem ſubſiſtit arteriarum finibus, illosque obſtruit. Ita cor ſanguinem in arterias libere propellere nequit. Imminuitur inde motus humorum, tum inteſtinus, tum progreſſivus: unde frigoris ſenſus oritur. Turbatus æquabilis fluidi nervei per nervos motus pandiculationes & oſcitationes parit. Sanguis præterea, in ultimis arteriarum finibus ſtagnans, acredine ſua univerſalem in ſyſtemate nervoſo & vaſculoſo excitat ſpaſmum. Univerſa hinc conſtringitur cutis, ſanguis interiora verſus repellitur, vaſa detumeſcunt, & diſparent, facies hinc, labia & ungues pallent, mox autem ob ſanguinem, in venis quoque ſubſiſtentem, liveſcunt. Similibus ſpaſmis, à materia acri, in primis viis ſtabulante, ortis, dolor ille gravativus atque tenſivus, circa primam dorſalem vertebram perque dorſi longitudinem ad epigaſtrium adſcendens, ſuam debet originem. Humorum motu ſic magis magiſque imminuto, neceſſarium eſt, ut augeatur frigus, fortius conſtringantur ſolida, expellantur liquida, adeoque oriatur rigor. Inordinatus fluidi nervei arterioſique ſanguinis in muſculos influxus ſub frigore fortiter corpus concutit. Quum nimia venoſi ſanguinis quantitas, venis frigore extremorum contractis, interiora anterioremque cordis ventriculum verſus repellatur, hoc ad frequentiores inde irritatur contractiones: unde pulſus juſto celerior. Quum vero non tantum arteriarum aortæ & pulmonalis fines obſtructi cordis evacuationi obicem ponant, ſed

&

& fluidi nervei ſanguiniſque arterioſi in cordis muſculos influxus ſimul langueat, debilius ſeſe contrahit cor, neque integre ſeſe evacuare poteſt: unde debilis & parvus pulſus. Eadem ex ratione non in qualibet diaſtole ſiniſter cordis ventriculus ſufficientem ad abſolvendam ſyſtolen accipit ſanguinis quantitatem. Palpitat ideo tantum, & nulla tam diu percipitur diaſtole in arteriis, quoad, ventriculo ſufficienter repleto, hic validiſſime ſeſe contraxerit, ſanguinemque magna vi in aortam propulerit, eandemque dilataverit. Oritur exinde pulſus intermittens. Ob impeditum porro ſanguinis in venam pulmonalem cordiſque ſiniſtrum ventriculum tranſitum, cruor in pulmonibus accumulatur, pulmonalis arteriæ ramificationes nimium diſtenduntur, pulmonales veſiculæ comprimuntur, ab aëre hinc ſufficienter expandi nequeunt, reſpiratio fit difficilis, & ſumma anxietas oritur. Os, fauces exſiccantur, oritur ſitis, quam humorum acredo, & ſaburra, bilioſa præſertim, in primis viis ſtabulans, magis adhuc adauget. Eadem hæc ſaburra, vel acrimonia ſua, vel quantitate, ventriculum irritans & vellicans, leviorem primo convulſionem, ſicque nauſeam & vomendi conatum, increſcente autem irritatione, muſculiſque abdominalibus & diaphragmate in conſenſum ſimul tractis, actualem producit vomitum. Tubuli renales æque, ac reliquum ſyſtema vaſculoſum, ſpasmodice contractum, fluidiſſimis tantum ſeri particulis tranſitum concedit: unde urina pellucida & limpida exſiſtit.

§. XIV.

Eædem vero cauſæ, à quibus febrile frigus produci (§. præced.) diximus, etiam calori febrili anſam præbent. Obſtructis enim arteriarum extremitatibus, ſanguis fluxilis adhuc per laterales ramos celerius movetur, adeoque citius per venas ad dextrum cordis ventriculum redit, eumque ad frequentiorem exſtimulat ſyſtolen. Simul vero frigore contractæ, hincque robuſtiores factæ arteriæ, vi magna in contentum reagunt flui-



dum. Magnus inde oritur partium sanguinis constitutivarum, tam inter se, quam ad vasorum latera, attritus. Augetur itaque & progressivus & intestinus humorum motus, hujusque effectus calor. Aucto humorum motu, accedente sufficiente potu, tenax sanguis mirum in modum conquassatur, dividitur, resolvitur, & singulis cordis ictibus, tanquam totidem cuneis, in sanguinem, ultimis arteriis inhaerentem, impingit, eumque pedetentim etiam diluit, dividit, resolvit. Ita tollitur obstructio, redit per universum corpus calor, vasa antea collapsa, restituto nunc sanguinis circulo, denuo replentur, tument. Remota resistentia, cor magna vi atque celeritate sese contrahit; minima vasa, ne subcutaneis quidem exceptis, sanguine replentur; augetur hoc pacto calor, qui, quoniam humores nondum ita resoluti, vasaque cutanea eo usque relaxata sunt, ut sub sudoris forma illi erumpere queant, siccus est; pulsus micat plenior, fortior, celerior, frequentior. Sanguis, quum in cerebri vasis admodum exiguam inveniat resistentiam, majore quantitate ad caput ruit: unde vasa nimium quantum distenduntur, & pungens oritur cephalalgia, quae singulis arteriarum ictibus augetur; oculi fiunt turgidi, rubicundi, fulgidi; internorum sensuum officina turbatur, aegroti aliena loquuntur. Sanguis, majore velocitate per pulmones trajectus, citatiorem deposcit respirationem. Humores nondum satis resoluti, & calor, magnam in ore faucibusque producunt siccitatem: unde intensa aegrum excruciat sitis. Aucto sub calore insigniter humorum attritu, tam inter se, quam ad vasa, salinae, oleosae, terrestres sanguinis partes magis magisque evolvuntur, perque renales tubulos, nunc, quam in priori stadio, latiores transcolantur: unde urina flammea, rubicunda, saturata.

§. XV.

Restituto igitur, auctoque sub calore libero humorum per omnis generis vasa circulo, & ingesto ob vehementem, quae aegrotos & in frigore & in calore divexat, sitim copioso potu aquoso,

aquoso, spissus ac tenax diluitur sanguis, magis magisque dividitur, fluxilis redditur, materiaque peccans ad exitum disponitur. Sublatis itaque spasmis, & subacta materia peccante, omnia symptomata imminuuntur, pulsus evadit mollior, cutis lecti calore fovetur, laxatur, madescit. Unde vascula exhalantia sensim magis ac magis relaxantur, donec aquosae sanguinis parti exitum concedant, quae sub sudoris specie erumpit: quo finito, aeger ad se redit, remanente tantum corporis lassitudine, atque appetitus prostratione. Urina, quam aegroti, superato paroxysmo, mingunt, saturatior & rubicundior, quam in secundo stadio est, postque statum deponit sedimentum roseum, biliosumve, quoniam tubulis renalibus, à spasmo perfecte liberis, & magis etiam, quam in priori stadio relaxatis, insignis materiae peccantis, nuncque coctae quantitas per hasce vias è corpore eliminatur.

§. XVI.

Si (§. 6 - 8.) dicta cum *tertianae continuae* schemate conferantur, facile erit, hanc ab *intermittente* distinguere. In *continua* aeque, ac *intermittente* novus alternis diebus insurgit paroxysmus, qui vero & trium stadiorum, & symptomatum ratione, multum ab intermittentis paroxysmo discrepat. Invadit nimirum itidem, intermittentis instar, cum horrore & frigore, quod vero nec tamdiu durat, & in paroxysmis sequentibus gradatim ita imminuitur, ut vix amplius sentiatur. Siccus ille, qui horrorem excipit, calor est vehementior, longius protrahitur, enormem conjunctam habet cephalalgiam, deliria, sitim inexplebilem. Sensim tamen, erumpente sudore largiori, iterum quidem mitescit, at nunquam tamen plenarie intermittit: nam & intercalari die pulsus justo celerior micat, majoremque appetitus & virium prostrationem comitem habet. Somnus nunquam placidus, semper interruptus est. Verbo: *continuae* paroxysmi longius extenduntur, nulla adest apyrexia, omnia denique symptomata, ipsi cum *intermittente* communia, si unum horrorem eximium feceris, sunt graviora.



§. XVII.

Febris tertiana intermittens ratione *durationis*, *decursus* & *invasionis*, *circuitus*, *temporis anni*, *typi*, *locorum* & *subjectorum*, *indolis*, varie dividi solet. Ratione *durationis* est vel 1.) *justæ dimensionis*, vel 2.) *extensa*. *Iustæ dimensionis* ea dicitur, quæ ultra duodecim horas paroxysmum non extendit. *Extensa* est, quæ longius suos extendit paroxysmos, & ad continuam magis accedit.

§. XVIII.

Ratione *decursus* & *invasionis* dividitur 1.) in *regularem* 2.) in *anomalam*. *Regularis* vocatur, quæ legitimum servat typum, seu, cujus paroxysmi ratione invasionis & durationis sibi inuicem respondent *Anomala* dicitur, quæ à legitimo typo recedit, seu, cujus paroxysmi certum accessionis tempus non observant, sed nunc mane, nunc circa meridiem, nunc vesperi, nunc circa mediam noctem, accedunt; breviores modo, modo longiores exsistunt.

§. XIX.

Circuitus respectu est vel 1.) *exquisita*, vel 2.) *minus exquisita*. *Exquisita est*, quam septem paroxysmi finiunt (g). Minus exquisita est, quæ pluribus, quam septem, finitur paroxysmis.

§. XX.

Ratione *temporis anni* est 1.) *vernalis* l. *æstiva*, 2.) *auctumnalis* l. *hiemalis*. *Vernalis* l. *æstiva* adpellatur, quæ à Februario ad Sextilem grassatur. Hæc mitioribus plerumque stipatur symptomatibus, sponte, aut cito curatur, minusque alit periculi. *Auctumnalis* l. *hiemalis* à Sextili ad Februarium sævit, graviora importat symptomata, nec raro in sonticos degenerat morbos, aut prorsus funesta fit, saltem longior, atque contumacior exsistit.

§. XXI.

(g) De hac conferri meretur peculiaris MELCHIORIS SEBIZII dissertatio, Argentorati 1627. habita.

§. XXI.

Typi intuitu dividitur in 1.) *ſimplicem*, 2.) *duplicem*, 3.) *triplicem.* *Simplex* eſt, cujus paroxyſmi alternis diebus recurrunt, interjecto die intercalari. *Duplex* quotidie quidem accedit, ſed paroxyſmi, & invaſionis, & vehementiæ, & durationis reſpectu, ſibi alternatim reſpondent. Etenim tertius, qui vehementior eſt, & ante meridiem plerumque accedit, cum primo; quartus autem, qui mitior eſt, & poſt meridiem accedit, cum ſecundo convenit. Facile ergo à quotidiana intermittente diſtinguitur, utpote cujus paroxyſmi, ſive vehementiam, ſive acceſſionem ſpectes, æquales ſunt. *Triplex* audit, ſi primo quidem & tertio die ſimplicis paroxyſmi loco, binæ diſtinctæ exacerbationes, proxime ſeſe mutuo excipientes, intercalari autem unus duntaxat inſultus obſervatur. Differt ab hac *hemitritæa*, ſive *ſemitertiana*, tametſi vulgo pro *ſynonymis* haberi ſoleant.

§. XXII.

Ratione *locorum* & *ſubjectorum* eſt 1) *epidemia*, 2) *endemia*, 3) *ſporadica*. *Epidemia* ex communi quadam cauſa, v. gr. ex inſolita aëris conſtitutione, plures, eodem in loco degentes, eodem tempore ſimul corripit. *Endemia* eſt, quæ plures, eundem locum incolentes, ex cauſa quadam huic propria infeſtat. *Sporadica* ex peculiari quadam cauſa, poſt commiſſum v. gr. errorem diæteticum, hunc illumue ſolitarie adgreditur.

§. XXIII.

Ratione *indolis* eſt vel 1.) *benigna*, vel 2) *maligna*. *Benigna* audit, quæ conſuetis iisdemque mitioribus ſtipata eſt ſymptomatis, & vel ſponte ſua ceſſat, vel adhibitis congruis medicaminibus facile cedit, nec unquam, niſi per enormiorem quemdam, aut ægrotantis, aut medentis errorem, morte terminatur. *Maligna* vocatur, quam extraordinaria, eademque graviora comitantur ſymptomata, quæque, niſi cito conveniens

ipſi



ipsi occurrat medela, ægrum certissime jugulat. Pertinent huc quam plurimæ febres tertianæ intermittentes; epidemice grassantes, nominatim illæ, qnibus, malo ægrotantium omine, sopor, vel insultus apoplecticus, tanquam symptoma, sese adsociat.

§. XXIV.

Febris tertiana intermittens, in florentis ætatis homines incidens, & legitime decurrens, plerumque, si rite tractetur, periculo caret, quin immo nonnunquam ipsa medicina est (*h*). Sin autem adhibitis, ante sufficientem materiæ peccantis correctionem & evacuationem, medicamentis adstringentibus sinistre tractetur, vel æger sub ipsius decursu insignes in diæta committat errores, facile in continuam, aut cholericam, vel certe in febrem lentam, & malum hypochondriacum transire, vel œdematosos pedum tumores & hydropem generare potest. Sed majus hoc periculum, immo præsens vitæ discrimen, minatur *tertiana intermittens soporosa*, de qua fusius acturi nunc sumus.

§. XXV.

Est vero *febris tertiana soporosa* intermittentium malignarum species, quæ alternis diebus ægrotos, superato tertio quartove paroxysmo, nunc citius, nunc serius (*i*), loco horroris & rigoris (*k*), cum profundissimo sopore, per totum paroxysmum durante, invadit.

§. XXVI

(*h*) Vid. NICOLAI le ROY de SAINT-AIGNAN & FRANCISCI BERNARD quæstio medica quodlibetaria: *An febris sæpius morbi remedium, quam morbus?* Paris. 1743. cujus §. 4 plura, ex HIPPOCRATE præsertim, hanc in rem laudantur exempla.

(*i*) WERLHOFIUS *Obs. de febr.* sect. I. §. V. p. 17. sq. & § VI. p. 22.

(*k*) SYDENHAM epist. respons. I. p. 386. sq.

§. XXVI.

Fallax admodum periculique pleniſſima eſt hæc febris, & tum ægrotum, tum Medicum, à prudentia clinica non ſatis inſtructum, facillime decipit. Tam enim egregie tertianam intermittentem, primis præſertim paroxyſmis, mentitur, ut vix ac ne vix quidem ab ea diſtingui poſſit. Neque tamen, quæ anguem ſub herba latentem prodant, plane deſunt ſigna, id quod ex ſequentibus liquido patebit. Multo ante, quam ipſe morbus ingruat, nonnulli de lateris dextri dolore, per intervalla excruciante, conqueruntur. Febris ipſa ægrotos cum pandiculatione, oſcitatione, ceteriſque tertianæ intermittentis benignæ propriis, & (§. 6. ſeqq.) deſcriptis ſymptomatibus invadit: ſed in primo, vel ſecundo paroxyſmo, nec nunquam tardius, prouti ſopor vel citius, vel ſerius, morbo ſupervenit, dictis ſymptomatibus ſomnus naturali profundior ſeſe aſſociat, qui ægroto quidem adſtantibuſque amicis, febris incommoda blando hoc ſomno falli ſibi perſuadentibus, neutiquam vero prudentiori, & rerum ſuarum ſatagenti Medico imponit. Finito paroxyſmo, quidam orthoſtadii fiunt, ſanisque ſimillimi videntur. Alii vero de inſolita capitis ſtupiditate queruntur. Urina quorundam craſſa, & quadam quaſi pinguedine obducta eſt, admodum fœtet, & colorem ſubfuſcum, lixivii inſtar, immo nigricantem, præ ſe fert: quæ vero cum dyſuria, aut ſtranguria, & frequentiori ſtimulo prodit, naturali interdum ſimilis eſt. Pulſus in pleriſque frequens, in multis durus & intermittens, dieque intercalari in nonnullis naturalis obſervatur. Sanguis, è vena eductus, plerumque floridus, ſatis æquabilis eſt, & copioſiſſimo, eique viridescenti innatat ſero: interdum variegatus eſt. Nonnunquam ſuperior ſeri pars in quandam quaſi gelatinam coaleſcit, inferiore manente fluida, cumque intermixtis ſanguinis grumis

patel-



patellæ adhærente. Interdum cruſtam offert inflammatoriam. Interdum verminoſus & corruptus, vermiculos, cucurbitæ ſemini æmulos, progignit. Plures ſecundo, vel tertio paroxyſmo, alii ſerius, gravi affliguntur cardialgia, qualis in icteri-cis & hepatitide laborantibus obſervari ſolet. Paroxyſmo proxime inſequente, profundior iſte ſomnus in quam plurimis cum ſolitis febris ſymptomatibus revertitur, & cum paroxyſmi incremento ſenſim increſcit: quosdam vero ſtatim, horroris & rigoris loco, profundiſſimus adgreditur. Perit tunc omnis ſenſus atque motus, ſola reſpiratio, quæ ore hiante, ſingultim, & cum ſtertore perficitur, vitam in ægris adhuc ſuperſtitem prodit. Nulla arte excitari poſſunt, &, quamvis poſt inſtitutam venæ ſectionem, vel ſcarifationem, adhibitoſque pulveres ſternutatorios, clyſteres acriores, & cauteriorum applicationem, oculos aperiant, mox tamen rurſus eos claudunt, vel etiam apertos, ſine viſione tamen, ſervant. Quosdam primus ſtatim, vel ſecundus paroxyſmus è medio tollit; alii, ſuperato paroxyſmo, ad ſe quidem redeunt, ſed pejus habent, quam ante illum: continue febricitant, convulſivis agitantur motibus, in hemiplegiam, vel etiam catalepſin incurrunt, donec tandem, recurrente novo paroxyſmo, ſopore in apoplexiam mutato, vel ſub ipſo paroxyſmo, vel præterlapſis aliquot diebus, vitam cum morte commutent (*l*).

§. XXVII.

Ut vero ſonticum noſtrum affectum eo clarius perſpicere queamus, haud alienum erit, ſi de *ſymptomate*, inopinato eidem superveniente, ægriſque certiſſimum vitæ periculum minante, paullo agamus copioſius. *Soporis* ſpeciem eſſe (§. 24.) innuimus. Eſt vero *ſopor* inexpugnabilis, atque præternaturalis

(*l*) Werlhofius *l. c.* §. V. ſeqq.



lis somnus, modo cum febre, modo sine illa, ab impedito sufficienti fluidi nervei in medullam oblongatam, nervosque, sensibus & motibus dicatos, influxu originem ducens.

§. XXVIII.

Quatuor hujus soporis *species* dantur, *coma*, *lethargus*, *carus*, *sopor apoplecticus*, quæ tum indole & genio causæ efficientis, tum symptomatum intensione, inter se differunt.

§. XXIX.

Coma in *vigil* & *somnolentum* dividitur. *Coma vigil*, κῶμα ἀγρυπνῶδες, continua, sed irrita in somnum proclivitas est, & etiamsi ægri obdormiscant, mox tamen sine ullo, vel certe cum exiguo admodum levamine, expergiscuntur. A meningibus cerebri inflammatis ortum ducit, & morbis acutis inflammatoriis, nec raro etiam hemiplegiæ (*m*), tanquam symptoma, jungitur. *Coma somnolentum*, κῶμα ὑπνῶδες, assidua somnolentia, sive potius involuntarius, profundus, atque diuturnus somnus est, ex quo ægri quidem excitari possunt, sed brevi in eundem relabuntur. Vasorum cerebri sanguiferorum nimiæ relaxationi, difficiliori sanguinis spissi & impuri per caput transitui, nimiæ seri in cerebro collectioni originem debet. HOFFMANNUM (*n*) si audias, *idiopathicum* est, & febre caret; BOERHAAVIUS vero (*o*), NENTERUS (*p*) & JUNCKERUS (*q*) *febrium symptoma* esse contendunt.

(*m*) FRID. HOFFMANNUS *Consult. Med.* Tom. I. Sect. I. Cas. XX. p. 91.

(*n*) *Med. rat. system.* Tom. IV. Part. IV. Cap. II. p. 53.

(*o*) *Aphor. de cognosc. & curand. morb.* §. 703.

(*p*) *Fund. med.* T. II. p. 420.

(*q*) *Consp. med.* p. 913.



§. XXX.

Lethargus eſt gravis aſſiduusque ſopor, quo ægri perpetuo, ſine ullo fere vigiliarum intervallo, obruuntur. Excitati quidem ad quæſtiones reſpondent, mox vero in priſtinum ſoporem relabuntur. Stupenda præterea hunc affectum comitatur rerum oblivio, ita, ut ægri oſcitantes os claudere obliviſcantur. Seri tenuioris per arteriarum poros tranſudationem & extravaſationem, at minorem, quam in ſeroſa apoplexia, pro cauſa agnoſcit. Idiopathicus morbus eſt, & lentam febrem habet conjunctam.

§. XXXI.

Carus profundiſſimus ſopor eſt, cum motus & omnis fere ſenſus abolitione, ex quo ægroti neque per clamores, neque per agitationes, neque, ſi vel acu pungantur, excitari poſſunt, &, quamvis punctiones ſentire videantur, nihil tamen loquuntur, & dormire pergunt, reſpiratione interim ſatis libera, & adhuc fere naturali; à nimia ſanguinis copia, qua cerebri vaſa adeo expanduntur, ut non ſolum medullarem ſubſtantiam comprimant, ſed etiam liquidi nervei introitum in illam per totum caput impediant, proficiſcens. Vel *idiopathicus* eſt, ſæpiuſque febre (*r*) ſtipatur, vel *ſymptomaticus*, febribuſque, & acutis, & intermittentibus, & chronicis (*s*), tanquam ſymptoma, ſupervenit.

§. XXXII.

Sopor apoplecticus plenaria ſenſuum motuumque voluntariorum abolitio eſt, pulſu plerumque forti, & reſpiratione difficili,

(*r*) HOFFMANNUS *l. c.*
(*s*) LOMMIUS *obſeru. medic.* Lib. II. p. 75. LANCISIUS *de noxiis paludum effluviis.* Lib. II. Epidem. I. Cap. V.

cili, ftertente, ab effufione vel fanguinis, vel feri, in cerebro ortum ducens. Morbus plerumque idiopathicus eft, & fine febre occurrit; interdum tamen febrium tertianarum intermittentium (*t*) fymptoma eft.

§. XXXIII.

Qua ratione *foporofi affectus* inter fe differant, ex iis, quæ hactenus diximus, fatis intelligitur. Supereft, ut etiam indicemus, quomodo ab aliis analogis morbis diftinguantur. Prodeat ergo primo *catalepfis*. In hac, uti in affectibus foporofis, durante paroxyfmo, fenfus & motus voluntarii fufpenduntur. Differt autem ab iis 1) quod in illa ægroti in eo fitu, in quo paroxyfmus eos opprimit, immoti atque rigidi maneant, ita tamen, ut ab aliis moveri queant. Impulfi enim progrediuntur, & rigiditas non impedit, quo minus quofcunque illorum artus flectas, quos vero in eo fitu immotos poftea tenent. 2) Quicquid catalepticorum ori intruditur, illud devorant. 3) Pulfus naturali fimilis, & refpiratio falva & integra eft. 4) Convulfivi fæpius motus in abdomine coftifque inferioribus (*u*) obfervantur. Denique 5) nulla arte, fortiffimis licet falibus volatilibus, frictionibus atque punctionibus adhibitis (*x*) excitari poffunt. Secundus morbus, qui cum foporofis adfectibus facile confundi poffet, eft *fyncope*. Omnis in hac & fenfus & motus fubito perit: at fimul etiam pulfus & refpiratio intercipiuntur, facies cum gelido fudore fœde pallet. In illis è contrario pulfus magnus & validus, & color faciei floridus eft. Denique foporofi affectus etiam *à fuffocatione uterina* difcrepant.

C 3 In-

(*t*) SYDENHAM *l. c.*
(*u*) HOFFMANNUS *l. c.* Tom. IV. Part. III. Cap. IV. p. 132.
(*x*) ID. *l. c.* obferv. I. p. 148. & obf. II. p. 150.

In hac fauces vinculo quasi constringuntur, ut ægrotantes aliquandiu plane non respirent: in illis autem respiratio plane non supprimitur, tametsi in quibusdam speciebus difficulter peragatur.

XXXIII.

Ea, quæ de soporosis adfectibus in medium hactenus protulimus, ad quam potissimum soporis speciem symptoma illud, febribus tertianis intermittentibus sub tertio, vel quarto paroxysmo, vel etiam serius superveniens, referendum sit, liquidissime declarant. Quoniam nimirum omnis sensus & motus perit, ægri nulla arte excitari possunt, adhibitis fortissimis stimulantibus; oculos quidem aperiunt, & ita sentire videntur, mox vero illos iterum claudunt, vel etiam apertos, sine visionis tamen sensu, servant, & dormire pergunt: *symptoma* hoc jure meritoque ad *carum* referimus (y). Quum vero respiratio non satis sit libera, nec ad naturalem propius accedat, sed ore hiante, singultim, cumque stertore perficiatur, & præterea quidam ægroti, superato paroxysmo, hemiplectici fiant, immo cuncti, ex hoc morbo decedentes, ex apoplexia moriantur, *carum* hunc ad *apoplexiam* quam proxime accedere patet,

(y) *Carum* febrium exacerbationibus aliquando supervenire, jam dudum notavit antiquus rerum medicarum scriptor, PAULLUS AEGINETA *Lib. III. Cap. IX. p. 114. edit. Basil. 1532. fol.* conf. RUDOLPHI IACOBI CAMERARII diss. *de apoplexia cum febre.* Tubing. 1717. Ceterum de febribus tertianis intermittentibus, quibus adfectus soporosi supervenerunt, conferri præter alios merentur CAROLI RAYGERI obs. de febre tertiana intermittente comatosa. *Ephem. Germ. Dec. III. Ann. III. obs. CXXXVIII.* MATTHÆI BLAUII obs. de febre tertiana intermittente maligna, in laud. *Ephem. Dec. cit. Ann. VII. obs. LVIII.*

patet, unde haud incongrue *soporis apoplectici* nomine ipsum designasse nobis videmur.

§. XXXV.

Experientia docet, febrem nostram frequentissime, vel ex noxia aëris constitutione, aliisque causis communibus, plures homines, in uno eodemque loco degentes, eodem tempore, simul aggredi, vel certis locis propriam esse, vel hunc illumve, senes praecipue, ex peculiari quadam causa corripere. In epidemicam (*z*) igitur, endemiam (*a*), & sporadicam (*b*) eandem dividimus.

§. XXXVI.

Cum morbus noster praesens intentet vitae periculum, de *signis* ejus *anamnesticis* potius, quam de *diagnosticis*, solliciti esse debemus. Facilius enim futurus avertitur morbus, quam praesens tollitur. Dari vero certa quaedam *signa*, ex quibus earum febri

(*z*) Hanc observarunt LANCISIUS, SYDENHAMUS, WERLHOFIUS, alii.

(*a*) EUGALENUS hanc febrem propter humidum & crassum aërem aquasque salsas & putridas Emdae endemiam observavit. Vid. ejus *Tract. de scorbuto. p. 202.*

(*b*) Ad hanc speciem referri potest casus, quem FRID. HOFFMANNUS *l. c. Tom. IIII. P. IIII. cap. II. Obs. I. p. 68.* describit. Febres tertianae quidem epidemice grassabantur, cum quinquagenarius iste, cujus in hac observatione mentio fit, tertiana duplici soporosa corriperetur: sed ex peculiari corporis sui constitutione, nimia scilicet capitis à praegressis maerore, vigiliis, vinique absinthiaci abusu, debilitate id factum esse, ex morbi historia patet.



febri noſtræ ſupervenientem colligere liceat, hiſtoria ejus (§. 26.) tradita docet. Sunt autem, quæ ſequuntur. I. Febris tertiana intermittens, epidemice graſſans. II. Dextri lateris dolor, per intervalla recurrens, multo ante, qnam morbus ipſe ſeſe manifeſtet. III. Somnus naturali profundior, morbo ſeſe aſſocians. IV. Inſolitus capitis ſtupor, intercalari die ægrotos affligens. V. Gravis cardialgia, qualis in ictericis & hepatitide laborantibus obſervatur, morbo ſuperveniens. VI. Urina craſſa, ſubfuſca, pinguedine quaſi obducta; vel etiam naturalis, at cum frequenti micturitione, dyſuria aut ſtranguria emiſſa. VII. Sanguis floridus, ſero copioſiſſimo virideſcenti innatans. Sanguis, cujus ſerum ſuperius in gelatinam concrevit, inferius autem fluidum, & ſanguinis grumis intermixtum eſt. Sanguis cruſtam inflammatoriam exhibens. Sanguis verminoſus.

§. XXXVII.

Devolvimur nunc ad *cauſas* noſtræ febris, in quibus eruendis primario ad *ſoporem* heic reſpicimus, quum febris tertianæ intermittentis cauſas ſupra jam (§. 11.) tradiderimus. Efficit igitur *ſoporem*, quicquid liberum fluidi nervei fluxum & refluxum in organa, tum ſenſoria, tum motoria, impedit. Impeditus autem hic influxus alias, tam *propiores*, quam *remotiores*, ſupponit *cauſas*. *Propiores* heic loci tres fere ſunt vel 1.) nimia fluidi nervei penuria, vel 2.) tubulorum nerveorum relaxatio, vel 3.) cerebri compreſſio, quæ vel à ſanguine, tardius per cerebri hujusque membranarum vaſa circulante, aut plane ſtagnante, unde vaſa nimium diſtenduntur, vel à quacunque materia peregrina, cerebro incumbente, vel peculiari aliquo miaſmate narcotico, ab extra in corpus ſeſ inſinuante, dependet.

§. XXXVIII

§. XXXVIII.

Inter *remotiores caufas* harumque conditiones referendæ funt, præter fanguinis fpiffitudinem & acredinem (§. 10.) 1) ætas fenilis, in qua folida quidem, nimis rigida, non rite amplius fluida circumagunt, hæc autem jufto fpiffiora difficilius per cerebri vafa circulant. 2) Temperamentum fanguineo-phlegmaticum, in quo fpiffiora & lentefcentia fluida non tantum folida exfuperant, fed & fanguinem, ob imminutum motum progreffivum & inteftinum, infpiffant. 3) Craffus & obefus corporis habitus, fluidorum abundantiam & folidorum laxitatem conjunctam habens. 4) Vifcerum imi ventris obftructiones (*c*), quibus liber humorum in abdomine circulus valde impeditur, &, febre fuperveniente, fanguis facile verfus caput rapitur. 5) Vermes in ventriculo & inteftinis (*d*) hofpitantes, qui, tunicas horum vifcerum rodendo, fpafmos in iis excitant, unde eadem oriuntur fymptomata.

§. XXXIX.

Ad *caufas proëgumenas*, præter eas, quas (§. 11.) in medium attulimus, fequentes adhuc fpectant. 1) Tempeftas diu pluviofa atque auftrina, unde flumina exundant, quorum aquæ poftea in humilioribus locis & vallibus ftagnant, & vitium capiunt: fuccedente vero calidiore tempeftate, hæ aquæ putridos per folis vim vapores, aërem inquinantes, exhalant, qui, cum cibis & potu deglutiti, corporis noftri humores eadem prava inficiunt qualitate (*e*). 2) Habitatio non procul a paludofis locis, vel etiam in humido cubiculo, ubi aër denfus & vapidus effe folet. 3) Purgatio fine indicatione in febrium intermittentium epidemicarum initio inftituta. 4) Remediorum, aut potulentorum fpirituoforum, & fulfureorum ufus, quæ bilem craffiorem agitare, & ad cerebrum rapere poffunt. 5) Nimia febris vehementia, in primis, fi in fubje-

D ctum

(*c*) LANCISIUS *l. c.* §. 3. p. 158.
(*d*) IDEM *l. c.* §. 4. pag. 159.
(*e*) IDEM *l. c.* p. 150. feqq.



ctum incidat, quod diætetica vitia (§. 11.) recensita commisit, vel causis (§. præced.) enumeratis obnoxium est, vel cui scabies, aut ulcera, perperam sanata fuerunt (*f*).

§. XL.

Expositis *febris* nostræ *soporosæ causis*, facile rationem reddere possumus, quomodo *carus*, vel *sopor apoplecticus*, febri tertianæ intermittenti, tanquam symptoma, supervenire possit. Febrem duplici potissimum humorum motu, uno a corporis peripheria ad centrum, altero ab hoc ad illam absolvi, ex §. 13. seq. constat. Prior minus salutaris, sed naturæ plane contrarius, immo letalis sæpius est. Quicunque enim ex febre tertiana intermittente moriuntur, durante hoc morbi stadio, ad patres abeunt. Posterior vero corpori amicus, & medicinæ loco est. Hoc enim noxia atque peccans materia ad exitum præparatur, præparataque eliminatur. Si quis igitur ex causis (§. 37. seqq.) commemoratis febre tertiana intermittente corripitur, humores, sub frigore interiora versus retropulsi, ob circulum sanguinis, in dictis partibus, vel a spasmis, vel a viscerum obstructionibus, præpeditum, ad alia loca minus resistentia, hoc est, ad caput, ruunt. Quoniam vero ob lentorem suum per debilitata encephali vasa tardius moventur, in illis adcumulantur, ea distendunt, cerebrum comprimunt, fluidi nervei secretionem, influxumque in nervos impediunt, sicque primis paroxysmis somnus naturali profundior oritur. Sublatis finito paroxysmo spasmis, restitutoque libero humorum in externis partibus circulo, ii, quorum solidorum tonus non nimis debilitatus est, sanis similes videntur. In quibus autem secus res se habet, intercalari etiam die, de insolito capitis stupore conqueruntur. Cum vero nimia hacce distentione vasa magis magisque relaxentur, novo ingruente paroxysmo, & retropulsis iterum versus centrum fluidis, hæc majore etiam, quam in præcedentibus paroxysmis, copia ad caput feruntur, vasaque adeo expandunt, ut fluidi nervei

(*f*) Werlhofius *l. c.* p. 24. seqq.

nervei introitum ex corticali ſubſtantia in medullarem per totum impediant caput, unde fieri non poteſt, quin carus ſubſequatur. Quorum autem vaſa tanto adhuc gaudent robore, ut plenariæ quidem diſruptioni reſiſtere queant, at eo tamen uſque diſtendantur, ut diapedeſis accidat, in iis poſt ſeri per membranarum, ex quibus vaſa conflantur, interſtitia tranſudationem apoplexia ſeroſa, hemiplegiam creans, oritur, donec, revertente novo paroxyſmo, vaſa plane diſrumpantur, & letalis ſanguinis in cerebrum effuſio contingat.

§. XLI.

Quæ de *febre* noſtra *ſoporoſa* hactenus in medium protulimus, prognoſin haud adeo lætam promittunt. *Quæcunque* enim *febris ſoporem inducit*, juxta Hippocratem (g), *maligna eſt*. Sopor, morbo noſtro tanquam ſymptoma ſuperveniens, fluidi nervei influxum in nervos interceptum eſſe indigitat. Quoniam vero liber hujus liquidi fluxus & refluxus ad vitam abſolute neceſſarius eſt, hanc, illo diutius ſublato, ſalvam eſſe non poſſe, nemo non videt. Cum præterea ſopor noſter facile in apoplexiam tranſeat, hæc autem, ſi vehemens ſit, plane non, ſin autem debilior, admodum difficulter ſolvi queat (h), jure meritoque atro morbum noſtrum notamus carbone, eumque inter periculoſiſſimos vitæque humanæ inimiciſſimos numeramus. Maximum conjunctum habent periculum *epidemica* & *endemia*, minus vero, ſi in ſubjectum non adeo ſenile incidat, *ſporadica*. Denique notandum quoque eſt, febrem noſtram recidivis quam maxime obnoxiam eſſe.

§. XLII.

Si ullo in morbo curando limato judicio practico opus eſt, certe in noſtro id requiritur. Inconſtans enim *ſoporoſæ febris*, & inprimis *epidemice graſſantis*, *indoles curam* admodum difficilem reddit, quum eadem medendi methodus, quæ in hac epidemica conſtitu-

(g) *Opuſc. Aphoriſt. prædict.* I. 74. edit. Baſil. 1748.
(h) Hippocr. S. II. *aph.* 42.



ſtitutione morbi genio quam maxime accommodata erat, alio tempore eidem prorſus adverſetur. Sic SYDENHAMUS (*i*) cujuſcunque generis evacuationes, quamvis ad revellendos e cerebro humores noſtra in febre indicari videantur, genio morbi contrarias, mortem acceleraſſe obſervavit. LANCISIUS (*k*) phlebotomiam ſimplices atque benignæ indolis febres tertianas intermittentes epidemicas in continuas & malignas mutaſſe affirmat. WERLHOFIUS è contrario (*l*) & venæ ſectiones, & lenia laxantia, & vomitoria, optatiſſimo cum ſucceſſu in tali febre adhibuit. Ob diverſam hancce febrium ſoporoſarum indolem univerſaliorem, & quidem præcipue epidemicæ, medendi methodum indigitabimus, quibuſque cautelis, & quo ordine diverſis indicationibus ſatisfaciendum ſit, quantum quidem tenues noſtræ in praxi vires permittent, enodabimus.

§. XLIII.

Sequentes ergo formandæ ſunt *indicationes*. I. Plethora eſt imminuenda. II. Peccans & in primis viis hærens materia evacuanda. III. Tenax, ſpiſſus, ſanguis incidendus, diluendus, acredo cicuranda, obſtructiones reſerandæ. IV. Febris fuganda. V. Recidiva præcavenda, & partes debilitatæ roborandæ. Eſt univerſalis hæc methodus, ſecundum quam febris noſtra, rebus ægri ſatis adhuc integris, debellari debet, niſi peculiaris morbi genius, probe iccirco a Medico explorandus, hanc illamve ex prioribus indicationibus contraindicet. Quodſi vero ſomnus naturali profundior jamjam febri ſe aſſociavit, periculumque in mora eſt, alia tunc via incedendum. In ipſo ſcilicet paroxyſmo ad ſanguinem ſpiſſum diluendum, acremque cicurandum, infuſa theiformia ex herbis betonicæ, veronicæ, capillorum veneris, cet. floribus verbaſci, bellidis, tuſſilaginis, primulæ veris, cet. parata, iuſcula ex carne vitulina, vel pullis confecta, cumque radicibus cichorei, ſcorzoneræ, herbis lactucæ, endiviæ, raſura cornu cervi, eboris, alterata, vel gelatinam cornu cerui, eboris, cochlea-

(*i*) *l. c.* p. 387.
(*k*) *l. c.* C. V. §. I. p. 158.
(*l*) *l. c.* Sect. III. §. II. pag. 72. & *ſeqq.*

cochleatim cum jusculis sumendam, præscribat. Sanguinis orgasmum & calorem remediis temperantibus, acidiusculis, aliisque, lapidibus cancrorum citratis, conchis citratis, cornu cervi philosophice præparato, succino præparato, nitro depurato, cum aquis destillatis C. B. scorzoneræ, florum tiliæ, cet. adjectis ad gratam aciditatem aliquot guttulis spiritus sulfuris, vel phlegmatis vitrioli, vel succo citri, in formam potiunculæ redactis, & sirubo quodam, v. gr. acetositatis citri, berberum, cet. edulcoratis, moderetur, & transpirationem promoveat. Cruribus porro, ad excitandum ægrum, vesicatoria, admirandum in morbo nostro (m) remedii genus, imponenda curet. Neque enim solum in fluida, spissa scilicet resolvendo, sed & in solida, nimis relaxata irritando, constringendo & roborando agunt cantharides, sicque motum humorum, tum progressivum, tum intestinum, promovendo, noxiam atque acrem materiam, partim per naturalia, partim per arte facta emissaria, expellunt.

§. XLIV.

Finito paroxysmo, quænam ex indicationibus maxime urgeat, probe perpendat Medicus, eamque intercalari hoc tempore adimpleat. Venæ sectionem ex plethorico ægri statu, sanguinis orgasmo, febris vehementia, insigni sanguinis caput versus congestione, suppressis aut neglectis sanguinis evacuationibus, naturalibus & artificialibus, & denique ex epidemicæ constitutionis genio, eandem exposcente, necessariam esse judicabit. An illa repetenda sit, nec ne, major, vel minor plethoræ & vehementiæ febris gradus; utrum in superioribus, an inferioribus corporis partibus, instituenda sit, sanguinis vel major, vel minor versus caput raptus, ut & naturalium evacuationum ratio declarabunt. Nausea, vomendi conatus, actualis saburræ viscidæ, biliosæ, acris, in primis viis hærentis, spasmosque excitantis, vomitus, vomitoria adhibenda esse demonstrant. Hunc in finem tartarus emeticus, vel radix ipecacuanhæ, in conveniente dosi in usum trahantur. Ponderis in abdomine sensus,

 flatus,

(m) LANCISIUS *l. c.* cap. VIII. p. 166. WERLHOF. *l. c.* p. 72.



flatus, hypochondriorum tentio, nimia alui lubricitas, laxantium & enematum usum postulant. Laxantia sint lenissima, ex rad. rhabarb. mann. cass. tamarind. vel eorundem pulpa; ex salibus laxantibus, Sedlicensi, Angl. polychresto SEIGNETTE, cet. parata. Clysteres ex rad. herb. flor. & seminib. emollient. carminat. v. gr. rad. alth. malv. cet. herb. mercurial. parietar. cet. flor. verbasc. chamæmeli &c. sem. anis. fœnic. cet. adjectis oleo olivar. vel chamæmeli, & largiore nitri portione, conficiantur. Quodsi duæ hæ indicationes æquali pondere urgerent, sanguis in ipso paroxysmo, & quidem in secundo ejus stadio, mitti, & finito paroxysmo, evacuans remedium porrigi posset. Cunctatorem enim, vel otiosum spectatorem agere velle, si ullo in morbo, in nostro certe, valde periculosum est. Si neutra harum indicationum necessaria videatur, mox ad quartam adimplendam prudens descendet Medicus.

§. XLV.

Cum *carus* in febre nostra maximum minetur ægrotis periculum, originaria vero hujus causa febris (§. 40.) sit, patet, hanc primo quoque tempore curandam esse. Quæ enim alias obtinet febres intermittentes curandi methodus, hoc sane in casu locum non habet, quoniam centies ægrotus ante periret apoplexia, quam viscidi humores fluxiles satis redderentur, acres sufficienter temperarentur, viscerumque obstructiones reserarentur. Neutiquam igitur inutilibus hisce moliminibus opportunum consumendum tempus, sed, urgente periculo, febrifuga, & quidem ante tertium, quartum certe diem (o), vel, antequam profundior somnus in carum transierit, adhibenda sunt. Inter omnia vero, hoc titulo superbientia remedia, *corticem peruvianum* reliquis omnibus palmam facile præripere, adeoque tuto & optimo cum successu in morbo hoc adhiberi, dummodo in sufficiente quantitate, & solus (o) intercalari tempore ægris porrigatur, cum experientissimis Practicis adfirmare nulli dubitamus. Finito ita-

(n) LANCISIUS *l. c*, Cap. VIII. Sect. II. §. I. p. 168.
(o) WERLHOF. *l. c.* Sect. IV. §. II. p. 89.

itaque paroxyſmo, corticis peruv. ſubtiliſſime pulveriſati drachma una, vel ſola, vel, ad blandiendum ægrotorum palato, cum ſirubo quodam v. gr. C. B. vel acetos. citri, cet. in bolum transformata, ſecunda quaque, vel tertia hora, ad novam uſque acceſſionem exhibeatur. Vigente vero paroxyſmo, corticis uſum intermittere, remediaque, ſpiſſum ſanguinem diluentia, acrem obtundentia, orgaſmum & calorem temperantia, (§. 43.) laudata, propinare præſtabit. Declinante paroxyſmo, ſtatim cortex repetendus, ejusque uſus ad plenam uſque paroxyſmorum ceſſationem continuandus erit.

§. XLVI.

Fugata febre, ſuperatoque periculo, tutius reliquis ſatisfieri indicationibus poterit. Commode hoc tempore & tuto materia peccans, nunc cocta, nodulo per epicraſin laxante, ſi in morbi principio id fieri ob contraindicantia non potuit, è corpore eliminatur. Idem de venæ ſectione eſto judicium. Continuato diluentium & demulcentium uſu, ſpiſſus & acer ſanguis fluxilis redditur, & obtunditur. Incidentibus & aperientibus viſcerum obſtructiones reſerantur Hunc in finem juſcula medicata ex ſucco rad. cichor. gramin. aſparag. &c. herb. intub. lactuc. cochlear. beccabung. acetos. cet. milliped. ſal. Seignett. tart. ſolub. tart. vitriol. cet. confecta, vel elixiria aperientia ex liquore terr. fol. tart. aperit. mineral ſplenet. in quibus extr. amar. C. B. centaur. min. gentian. rhabarb. cet. ſolvuntur, aquæ Selteran. Svvalbac. Egran. ægrotis præſcribi ſolent. Quoniam vero febris noſtra recidivis admodum obnoxia eſt, ad haſce præcavendas febrifuga dictis remediis interponenda, & aliquamdiu adhuc continuanda ſunt. Minime vero hæcce indicatio adeo magnam ſingulisque bihoriis repetitam corticis doſin requirit. Sufficit ſcrupulum unum ad drachmam ſemis quarta quaque hora quotidie, tandemque bis per diem aſſumere. Commode quoque nunc, ſi quidem res id exigat, laxantibus, aperientibus & roborantibus maritari poterit. Tandem debilitatæ partes roborandæ quoque ſunt. Obtinemus hunc ſcopum ſtomachicorum, quæ vocantur, remediorum uſu, qualia ſunt Tinct. Vitriol.

Mart.



Mart Lud. Eff. Cort. Aurant. C. B elix stomach Hoffm. cet. quæ singulis diebus bis, ante prandium & cœnam, ad 60-80. guttas per aliquod tempus sunt usurpanda.

§. XLVII.

Valet hæc quidem febrem nostram curandi methodus, si somnus tantum naturali profundior adest. Sin autem Medicus ægrum caro jam, vel sopore apoplectico oppressum invenit, eum apoplectici, sed simul etiam febricitantis instar, tractare debet. Omnem hoc in casu eo intendere debet nervum, ut ægrotum e profundissimo sopore excitet. Hunc in finem omnium primo de plethoræ imminutione sollicitus sit. Largiorem hoc fine in pede venæ sectionem instituendam curet, cui mox alteram in brachio collove subnectat (*p*). Aluum acriori clystere ex herb. betonic. verben. parietar. flor. chamæmel. paralys. roris marini, sem. anis. caru. follic. sennæ in s. q. aquæ fluviatilis cocto, additisque colaturæ pulp. cass. vel elect. cathol. vel. mell. mercur. ol. olivar. chamæmeli, cet. nitro ant. sal. gemm. cet. confecto reseret: cruribus, manuum carpis, nuchæ, ipsique capiti raso cucurbitulas cum scarifatione, hirudines, vesicatoria applicet. Naribus ad excitandos sensus salia urinosa volatilia, destillatis oleis cephalicis mixta, vel sub sicca vel liquida forma admoveat. Talia sunt spir. sal. ammon. cum calc. viv. paratus, sal. volat. C. C. sal ammon. siccum, ol. dest. rut. majoran. lavend. cet. Eundem in finem pedum plantas pannis asperis, aut excutiis fricari jubeat, vel ipsa cauteria actualia in usum vocet. Interius, si deglutiendi facultas supersit, ægrotis

(*p*) Sunt, qui *arteriotomen* omnibus reliquis sanguinem mittendi speciebus heic anteponunt. Ex professo id fecit CATHERWOODIVS in tractatu, anglice conscripto, cui titulus: *A nevv Method of curing the apoplexie.* Add. SILVESTRI ANTONII le MOINE & ANNÆ CAROLI LORRY Quæstio medico - chirurgica quodlibetaria: *An arteriotomia aliquando instituenda*? Paris. 1748. §. IIII. pag. 6. aliique scriptores, quos laudat SAMVEL FRIDER. NOETTINGER in disp. *de arteriotomia, ejus recto usu, & injusto neglectu.* Arg. 1747. *Cap. II. §. VI. pag. 25.*

grotis haud ſine fructu ſuccus naſturtii aquatici, vel ſolus, vel cum ſpir. ſalin. volatilibus, acidis aut mediis (*q*), vel etiam mixtura ex aquis cephalicis flor. tiliæ, ceraſ. nigr. meliſſ. apoplect. LANGII, cet. & abſorbentibus, antiſpasmodicis, diaphoreticis fixis, & cephalicis, lapid. ſcilicet 69 præp. conch. præp. ſuccin. præp. ſpecif. cephal. MICH. cinnab. variis ſpeciebus, nitr. ant. diaph. liq. C. C. ſuccinat. anodyno mineral. HOFFMANN. ſirubo flor. paralys. tunic. cort. aurant. cet. addito non nunquam ad excitandum fortiorem ſtimulum, tantillo tart. emetic. parata, propinentur. Excitato his ægro, mox, finito paroxyſmo, ad corticem peruvianum confugiendum, isque methodo (§. 44.) indicata in uſum vocandus eſt. Quodſi autem febris genius eas evacuationes, quarum ope humores è cerebro alias revelli ſolent, averſetur (*r*), hæ, veſicatoriis exceptis, omittendæ ſunt, & exſpectandum, donec paroxysmus ſponte ceſſet, quo tempore intercalari iterum peruvianum corticem ad perfectam uſque reconvalescentiam in conveniente doſi uſurpandum commendamus.

§. XLVIII.

De diæta notandum eſt, ægrotis in paroxyſmo non niſi juſcula §. 43. laudata, extra eundem vero jura carnium, hordeum, oryzam, ova ſorbilia, & potus ordinarii loco ptiſanam, ex rad. gram. ſcorzon. polypod. raſur. eboris, ſem. anis. vel fœnic. confectam concedenda eſſe. Superato quolibet paroxyſmo, ad plenariam ſanationem usque lintea, febrili ſudore inquinata, removenda, & cum mundis, iisque probe ſiccatis, ſunt commutanda. Profligata febre, ſolidiores ſenſim cibi, digeſtu tamen faciles, nec non etiam pauxillum vini, convaleſcentibus concedi poteſt. Humidiorem & frigidiorem aërem cane pejus & angue fugiant, in aëre vero moderate calido, ſicco & puriori, quum primum id vires permiſerint, moderatum inſtituant motum.

§. XLIX.

Supereſſet nunc de ſymptomatibus quoque, vel ex morbi noſtri reliquiis, vel ex ægri idioſyncraſia, vel ex minus ſufficienter dato, aut penitus omiſſo cortice Peruviano emergentibus, exponere. Verum, quum pleraque illorum ita ſint comparata, ut continuato & repetito antifebrilium uſui facile cedant, ceterorum vero, quæ alia expetunt remedia, ſpecialiorem therapiam Cel. WERLHOFIVS tradiderit, vela hcic contrahimus, & diſſertationi noſtræ imponimus

FINEM.

(q) WERLHOF. l. c. p. 81. (r) SYDENHAM l. c.

E PRÆ-



PRÆNOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE DN. AVCTORI S. P. D. PRAESES.

Erunt fortasse, PRÆNOBILISSIME DN. CANDIDATE, quibus specimen hoc TVVM academicum pudorem possit suffundere. Eos volo, qui vel Doctorum academicorum prælecta, vel dictata, calamoque excepta, vel alia MSta exscribunt, exscriptaque, speciminum academicorum loco, in publicum protrudunt. Isthi de certo quodam nundinatorum genere esse mihi videntur, de eorum nempe, qui vestiariam exercent mercaturam. Trita enim detritaque toties in prælectionibus publicis, privatis & privatissimis, pro novis vendunt, quia pro suis. Invenient etiam facile, qui mercem ejusmodi emtam esse cupiant. Emunt, & sæpe viliori pretio emunt, emtamque iterum vendunt, non nunquam interpolatam, at nunquam tamen, aut raro sine invidiosa fraudis proditione. Qui enim, quæso, fieri poterit, ut vestis, vel optime interpolatæ, apud alios antea frequentior usus plurimis sui spectatoribus non sit cognitus? Genuinum vix suppetit nomen, quo in Latio salutari possint sat apte, qui tritis antea speciminibus, interpolatis nunc, licet de cetero phaleratis, cathedram inauguralem conscendere non verentur. GALLIS audiunt Fripiers, qui locutione inde desumta: friper sa leçon, adposite idem prope innuunt, si hoc unum feceris eximium, quod non gaudeant jure προτιμησεως, nec habeant instrumentum auctoritatis publicum in hujusce modi emtionibus venditionibusque.

Ex

Ex illorum genere TE non esse, oppido constat. In doctrina, quam proponis, tam theoretica, quam practica, TE versatissimum esse, ex privato, quod mecum saepius instituisti, colloquio satis abundeque perspexi. Neque vero hoc solo nomine, sed & plurimis aliis bene merentem & bene meritum TE praestitisti Philiatrum. Litterarum indefessis studiis non tantum, sed morum etiam probitate, totam TVAM, quam inter nos peregisti, vitam academicam condecorasti. Iisdem rebus TE Exteris quoque commendasti, quod ipsorum testimonia, non emendicata, sed sponte TIBI oblata, confirmant. Ab illis in patriam redux, non illotis proinde manibus ipsam jam per aliquod tempus exercuisti, & feliciori quidem cum successu, praxin medicam. Dehinc ad nostra TE reversum subsellia, in utroque profectuum TVORVM examine talem invenimus, cui unanimi adplausu conferre possimus in arte salutari Lauream. Euge! conscende nunc cathedram inauguralem, ex ea, quod proprio elaborasti Marte, strenue defensurus. Consequere & hoc studiorum specimine, quibus TE dignum judicavimus, summos in Medicina honores, academicaque praxin medicam exercendi privilegia, quae hisce TIBI & TVAE familiae, futurisque TVIS aegrotis ex animo gratulor, SVPREMVM SALVTIS NOSTRAE AVCTOREM piis devenerans precibus, ut SVA TE porro benedictione secundet quam benignissime.

Dabam e Museo d. XXX. Octobr. CIↃIↃCCLVIIII.



Quos capis, e toto TIBI pectore grator honores:
Jam meritam laurum nectit *Hygea* TIBI.
Posuit
DOERNER, Med. Cand. Opp.

Letiferum exponens *somnum*, cum febre tritæa
Junctum, TE studiis *invigilasse* probas.
Ita
Prænobilissimo Dn. Licentiato,
Amico suo integerrimo,
adplaudit
JOH. FRIDERICVS CLOSSIVS,
Marbacensis.
Philos. D. & M. C. Opp.

Cum TIBI laus TVA sit, cum sit mea vena *febrilis*,
Unum dico *Vale*. Cetera pectus habet.
Gratulabundus apposuit.
C. E. HOFFMANN, *Tubing.*
Med. Stud. Opp.

Dum *febrim* egregie depictam sistis AMICE,
Egregie ut loculos impleat, opto, TVOS!
Vlteriori favori Prænobiliss. Dn. Licentiati sese commendaturus, ex sincero animi adfectu adposuit,
JOANNES JACOBVS MANNER,
Vlmensis, M. C. Opp.

Dum cathedram scandis, meritosque capessis honores,
Ex animo exoptat prospera quæque TIBI
Frater germanus
JOH. CHRISTIANVS LVD. MOERICKE,
Seminarii *Denckendorffensis*
Alumnus. Opp.